
QUASI IGNIS ARDENS SUPER VERTICEM MONTIS. Exod. 24
Stat CATULI ignis in ore: ignisque in uertice MONTIS.
ORDINIS ille ortum nunciat: iste decus.
Dom. del.
Acerra S.

P R O G R A M M A.

Pater Antoninus Bremond,
Electus Magiſter
Totius ſui Ordinis.

ANAGRAMMA PURISSIMUM.

Uti eſt ignis ardens in Monte,
Omnis Ordo tuus
Supra Te clarebit.

Digitized by Google

TIBI

Supremo Ordinis Praedicatorum Praeſuli

F. ANTONINE BREMOND,

QUI

Urbanitate, Stemmate, Dignitate

Quò clarior, eò charior

Cunctis efficeris.

CUJUS

Prudentiam, Doctrinam, Vigilantiam

Quò latius, eò altius

Fama praedicat.

CUI

Officia, Famulatum, Praeconia

Quò obſervantius, eò perſeverantius

Corda promunt.

QUEM

Adſtantium, Poſterorum, Abſtantium

Quò oneroſius, eò honoratius

Curae circumdant.

A QUO

Tutamen, Politiem, Augmen

Quò recentius, eò decentius

Scholae ſuſcipiunt.

HAS POSITIONES

De Coelo & Mundo, de Ortu & Interitu, de Anima

Ex Divi Thomae Summa decerptas

F. VINCENTIUS ZARETTI

In regali Conventu S. Dominici Maj. de Neap.

Philoſophiae Lector.

Quò devinctior, eò devotior

D. D. D.

Digitized by Google

Cum animus coelum, terras, maria, omniumque rerum naturam perſpexerit: eaque unde generata, quò recurrant, quando, quomodo obitura, quid in iis mortale, & caducum, quid divinum, aeternumque ſit, viderit; in hac ille magnificentia rerum, atque in hoc conſpectu, & cognitione naturae quàm ipſe ſe noſcet, quàm deſpiciet, quàm pro nihilo putabit ea, quae vulgo dicuntur ampliſſima?

Cic. leg. 1. *c.* 23.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI

F. ANTONINO
BREMOND

MAGISTRO GENERALI ORD. PRAED.

F. VINCENTIUS ZARETTI

Ejuſdem Ordinis.

GRandes materias ingenia parva non ſuſtinent, & in ipſo conatu ultra vires auſa ſuccumbunt: quantoque majus fuerit, quod dicendum eſt; tanto magis obruitur, qui magnitudinem rerum verbis explicare non poteſt. Haec, quae ad Heliodorum ſcribebat quondam Hieronymus (*a*), eadem prorſus hodie obſervantiſſimo animi ſenſu allicior de integro dicere; quum *Phyſicae particularis* ſe-

(a) *Epiſt.* 22. *ad Heliod.*

Digitized by Google

ſelecta theoremata Tibi ſiſtens, ad diutinos eos concelebrandos labores accerſor, quos Tu pro dilatanda Fide Orthodoxa alacriter nimis & interritus aſpexiſti, ſuſcepiſti, conſummaſti. Tam multa enim, tamque gravia, & propemodum divina ſunt, ad quae ſtudium Fidei propagandae Te impulit, ut in ſingulis vel ſedulo explorandis, vel affatim expromendis, vel impenſe commendandis ſenſu totus, verbiſque deficiam. Ac primum ſi in primam iſtiuſce Facultatis partem impingam; quidnam magnum, quidve viribus meis impar extemplo non conſurgit, Reverendiſſime Pater; dum in eo *Locali Motu*, quo revolubilis Univerſi ordo circumagitur, depicta ſatis & nullo offuſa velamine ſuſpicio laborioſa ea itinera, quae Tu philoſophicâ vix perfunctus exhedrâ Americam verſus ſeptentrionalem lubens arripuiſti; ut Servatorem univerſorum imitatus Inſulis, Civitatibus, Oppidis, regnum Dei evangelizares, & evangelica ubique ſigna ſuſtolleres? Haerens quidem, & ſtupens ſydera contemplor diverſas agentia vias, & in contrarium praecipiti mundo nitentia: Lunam modo occultam, modo terris apertam nocturna ſucceſſione a fraternis occurſibus menſtruum, remiſſumque lumen mutuantem: Solem curſu ſuo aut quotidiano diei noctiſque ſpatia ſignantem, aut annuo aeſtates, hyemeſque aequaliter dividentem: collecta nubila, cadentes aquas, obliqua fulmina, Oceani refluxum, disjectus fluminum, amnes in orientem, occidentemque deluſos, littora in portum recedentia, nemora ventis nutantia: & tantam denique in Coelo, terraque diſſonam mobilium concordiam; quantam nec philoſophica iſta tractatio adamuſſim expendere valet. Haec autem omnia, quantumcunque eminentiora ſint, & ſumma; haud tamen poterunt itinerum tuorum moleſtias, difficultates, labores, cunctaſque periſtaſes, quae divinae prorſus videntur, exaequare. Patrio enim demigrare ſolo, amicis deeſſe, civibus nuncium remittere,

bar-

barbaras quaerere gentes, propriis progreſſibus viam ſic intercludere, aliorum commodis propriâ contemptâ utilitate conſulere, nunquam in uno loco conſiſtere, charitate in diverſa cieri, expeditum ubique ſemper adeſſe; haec qui ita facit, ut mirifice Tu peregiſti; non ego eum cum ſummis viris comparare, ſed Deo viciniorem, omnique praeconio majorem judicare audebo.

Nec tamen ignobilius iſto ſpectaculum ſcientia haec alterâ ſui parte credenda eſt exhibere. Excipit me hic alia forma rerum, aliterque mirabilis. Dum enim a locorum permutatione, totiuſque Orbis adventitio motu ad mutuum *Ortum*, *Interitumque* ſenſibilium corporum progredior; eò mirabiliorem conſurgentis virtutis reſtitutionem, ac inveterati ſceleris internecionem tuis adſciſcendam concionibus intueor, quò attentius in ſuis generationibus ac defectionibus ſublunarem naturam aſpecto. Admiratione defixus teneor ipſe, qui arbores conſpicio veſtiri poſt ſpolia, flores rurſus colorari, mori ſemina, plantas ſuccreſcere, herbas denuo ridere, adverſo conflictu elementa componi, reaccendi ignes, antiqua abſumi, nova progigni. Mira naturae ratio fraudatione ſervatrix! Ut reddat, intercipit: ut cuſtodiat, perdit: ut integret, diſſolvit: ut conciliet, laceſſit: ut etiam amplier, prius decoquit: & nihil deperit, niſi in totius Univerſi & ſervationem, & bonum. Aſt vehementiori ſtupore praehenſae Te adhuc alta mente repoſitum Americanae cuſtodiunt Inſulae, quae apoſtolico pectoris tui vividiſſimo zelo concuſſae, dum criminum poenitentiâ tabeſcebant, ſpiritali vireſcebant laetitia: dum concupiſcentiae ſeculari cadebant, coeleſti renovabantur amore: dum foedae occumbebant voluptati, ſupernis naſcebantur deliciis: ac modo territae minis, modo promiſſis illectae, pudore informabantur, exhilarabantur ad pacem, firmabantur in bono: eodemque temporis momento innumera virtutum germina conſpiciebantur exor-

ta; quo prava vitiorum radix evaneſcebat abſumpta:

Tantum denique oneris, honoriſque ſplendorem poſtrema hujus Phyſicae pars ita coronat; ut plus ultra humanus nequeat intendere animus. Haec namque de *Animâ* peragens: haec Animae operas, vires, natalia, haec viventium motum, genera, ſtructuras, haec univerſum ad vitam mobile amplitudine ſua complectens; tantò celebriori laude Te dignum exhibet, quantò praeſtantiorem non naturae, ſed Gratiae vitam obductis infidelitatis caligine, vinctis in mendicitate, & ferro, ac in umbra mortis ſedentibus elargiebaris. Mirabitur quiſpiam, vitem adhuc teneram, & impuberem inſitâ animae vegetantis vi, ad ulmi amplexum properare: hederas nullo praeeunte ſuſpendi, & parietibus textili ſylvâ invehi: arbores expanſis foliis, conditis ſuccis, emiſſis floribus, inoculatis ramuſculis, editis frugibus, modo umbram, modo cibum, modo amoenitatem, modo cuncta ſimul praebere. Mirabitur, bruta uno, eodemque ſentientis vitae impetu praedita diverſis ſpeciebus, affectionibuſque ſecerni: conchylia ſcintillulam ſenſus habere: vermes in terra ſine vi conſiſtendi palpitare: formicam ſapienti quadam verſutiâ pro futuro laborantem hyemale alimentum in penum recondere: carnoſum elephantem proboſcide ſuâ cibum, potumque adducere, & circumfuſa, circumtrementique gravitate ferri: leonem cum toto ſuggeſtu jubarum ſuperbum incedere: ſtabilem bovem, pigrum aſinum, calentem equum immitem lupum, vulpeculam doloſam, cervum timidum, fidelem canem, cunctaque demum animantia alimoniis & inediis, crementis, & decrementis, ſomno, & vigiliâ, defatigatione & labore proprium vitae intimumque principium vindicare. Mirabitur, humanam animam ſpiritu Dei afflatam Dei imaginem gerere: ipſam mirabitur non ſtructilem, non diſſolubilem, non diviſibilem ſtructili, diviſibili, diſſolubili haerere corpori: nec

cor-

corpore tamen ita teneri, ut nequeat aut arbitrii libertate aſtris dominari, aut voluntatis electione in divinum & ſuperexcedens tendere bonum, aut latitudine mentis non loco circumſcriptae, non finibus terminatae, non temporibus devinctae, non comprehenſae figurâ corporalibus cunctis & inviſibilibus, creatis, & divinis feſtine, dictoque citius adeſſe. Miracula ſunt haec vivificantis naturae. Verum potentiora vitalis Gratiae myſteria tunc patefacta coruſcarunt; quum Tu coeleſtis Fidei Gratiaeque vitâ deſtitutos infeſtis emundans zizaniis, ſalutaribus irrigans aquis, evangelicis fulciens monitis, ut palmites viti, utque ſurculos arbori, Chriſto complantabas, ad ſuperna erigebas, operum foecunditati aptabas: quum Tu rudes catholico dogmatum lacte imbuens, divini ſanguinis potu inebrians, Redemptoris enutriens carne, ad devotionis ſenſum excitabas, ad ſupernaturalis vitae reſpirationem vocabas, vitalibus Salvatoris reficiebas influxibus, ac de tartarea frementium beſtiarum tyrannide ereptos Eccleſiae jugo ſupponebas: quum Tu devios exemplo pelliciens, verbo reformans, ſpiritu deificans, alios purgabas, illuminabas alios, alios uniebas, iſtos activae vitae muneribus dicabas, illos contemplativae remotionibus abſcondebas, cunctos denique non ſibi ipſis, ſed Chriſto viventes ad angelicum conſortium, ad Dei ſimilitudinem, ad perennem Gratiae vigorem, ad aeternam Gloriae immortalitatem evehebas, conformabas, vivificabas, atque dirigebas. Divina utique opera, nec unius viri complenda labore! Omnibus ideo ut Te probares, ut cuncta unus impleres, cunctorum Tu unus gerebas officia, ac mira facilitate modo Confeſſarium, modo Parochum agens, & perbelle etiam non ſemel Medici munus exercens, Nazareni ipſius perſonam referebas, qui animam labe, corpus aegritudine liberans, perfectam abſolutamque utriuſque medelam dignabatur operari. Laboraſti ergo: uſque ad interclusionem animae laboraſti, & pro re tam gravi adhuc laboras. Licet enim glo-

rioſum tanti facinoris curſum ademerint varius temporum caſus, diuturna morborum afflictatio, urgentia Praeſulum imperia; vota tamen non ademerunt. Hodie ſic iſta diligis; ut ſupremi hujus ſubſellii faſtigium tenens, ſumma aſſiduitate ſacram Evangelii promulgationem affectes: pari ſollicitudine verbi Dei praecones ad incredulos diſſitarum regionum incolas mittas: non abſimili benevolentiâ eos, qui verbo, & doctrinâ laborant, duplici habeas honore & peramantius amplectaris: iiſque ſancte invideas, qui infidelitatis aconitum eradicantes, ſudoribus tuis modò ſucceſſiſſe reſciſcis. Senſum iſta abſorbent & verbum: ac dum ex difficultate fandi neceſſitas oritur tacendi, ſimul dignoſcitur humillimum hocce opus tam eſſe tuis laboribus debitum, quam laudibus impar. Mutuans igitur ab eodem Doctore maximo finem Epiſtolae, a quo ſum mutuatus exordia, hoc unum exopto, Reverendiſſime Pater, ut ſicut ii, qui brevi tabella terrarum ſitus pingunt; ita in parvo iſto libello cernas adumbrata non expreſſa ſigna laborum tuorum, ſuſcipiaſque a me non vires, ſed voluntatem (*b*). Voluntas autem non de cenſus pondere, ſed de benevolentiae quantitate penſatur (*c*).

Ut coeli currunt; terram pontumque petebas,
    Ac cæcis Fidei lumen, & arma dabas.
Ut res naſcuntur, pereunt; ſic culpa peribat,
    Sic naſcebatur (Te ſtimulante) bonum.
Ut dat carni animus vitam; ſic Gratia corda
    Sub Te gignebat, vivificabat ita.

(b) *D. Hieron. ibid.* (c) *D. Leo ſer. 3. de collectis.*

DETERMINATIONES PHILOSOPHICAE
Ex angelica S. Doctoris Summa deprompτae,

E T

AD PHYSICAM PARTICULAREM FORMANDAM COLLECTAE;

Q U A S

Sub directione

R. P. L. F. VINCENTII ZARETTI

In Regali Eccleſiâ S. Dominici majoris de Neapoli
Die menſe anno

Publico offert praelio

Data cuilibet argumentandi facultate

F. VINCENTIUS LAVAZZOLI

Inter novitios profeſſos Ordinis Prædic. Provinciæ Regni infimus.

HActenus poſitiones & theſes, quae juxta tutiſsima angelici Praeceptoris dogmata circum corpora in communi amplecti debemus & propugnare, pro virium imbecillitate, & torpentis ingenii hebetudine expoſuimus: ſupereſt modo ad abſolutam naturalis ſcientiae tractationem, ut de corporibus veluti in particulari agentes, quid de iis ſentimus, dicamus. Ne autem uberrima, & propemodum infinita rerum naturalium, quae occurrunt, ſeges mentem noſtram, animumque obruat; omnia ad tria capita juxta triplex motuum genus, redigemus. Et primum de iis, quae motu locali perenniter agitantur, & Tractatum *de Coelo, & Mundo* conſtituunt: poſtmodum de aliis, quae aſsiduo generationis, & corruptionis motu incipiunt, deſinuntque, & Libros *de Ortu, & interitu* explent: tandem de reliquis, quae vitali, latentique motu vireſcunt, & univerſam *de*

Digitized by Google

Anima quaeſtionem occupant ; ſermonem inſtituemus.

Ad rem igitur propius accedentes, a Mundi origine incipimus, circa quam non unus fuit veterum philoſophorum ſenſus, & conatus: immo tam implexa, tam involuta, tam irretita, tam pugnantia & varia loquuti ſunt alii in adſtruenda mundi incoeptione; alii in ejus aeternitate tuenda, alii in utraque ut probabili admittenda, alii in alterutra ut impoſsibili refellenda: quidam in recenſendo, quidam in coarguendo, quidam in amplexando, quidam in perpoliendo, quidam in conſpurcando aliorum placita, & opiniones (quorum omnium aut auctorum, aut dictorum prolixum nimis catalogum accurate retexere, praeſentis noſtri inſtituti ratio non fert); ut neſcias, ſecluſo partium, factioniſque ſtudio, nec quae fuerit magis inter illos probata, nec quae magis uni, quam alteri ſit attribuenda ſententia. In tantum autem diſparum opinionum chaos philoſophantes iſti incauti devenere, quoniam quod demonſtrationi non ſubeſt, obniſi ſunt demonſtrare. Cum enim mundus in ſe inſpectus & ab aeterno poſsit eſſe, & in tempore fieri;ſicut nullo poteſt momento oſtendi,ipſum ab aeterno fuiſſe;ita

I. Mundum incoepiſſe, demonſtrative probari nequit. *D. Thomas prima part. quaeſt. 46. art. 2.*

SOlo igitur catholicae Fidei lumine temporalem mundi productionem firmiter tenemus, eamque ex primo Pentateuchi capite haud obſcure deducimus. Quamvis inficiari non poſsimus, quod ſeries illa dierum, quam ſacer hiſtoricus texit, diverſas patiatur expoſitiones. Auguſtinus enim ſeptem illos dies, qui narrantur, unicam eſſe diem arbitratur ſeptempliciter rebus praeſentatam: ex adverſo autem ceteri Patres ſeptem diverſos dies exiſtimant. Dum nos Auguſtini valde premit authoritas, aliorum nobis Patrum opinio non diſplicet; icc irco ut neutri ſententiae praejudicemus.

II. Nomine ſeptem dierum, qui primae rerum productioni adjudicantur; poſſe ſcite, & commode accipi vel cum Auguſtino unam diem, vel cum aliis Patribus diverſos dies, problematice tuemur *p. pr. q. 74. art. 2.*

Crea-

CReatis itaque initio temporis Coelo, & terra, iiſque ſapientiâ ſumma concinnatis, diſtinctis, ornatis, ocyus omnium Conditor terrena, & inferiora ſuperioribus, coeleſtibuſque corporibus ſubdidit. Ait enim Philoſophus in lib. de propriet. element. cap. 8. *Generatio & corruptio non invenitur in orbe coeleſti, ſed in eo Creator poſuit cauſam generationis & corruptionis*. Et ideo

III. Motus horum inferiorum corporum, qui ſunt varii, & multiformes, in motum corporis coeleſtis ut in cauſam reducuntur *p. p. q.* 115. *a.* 3.

CAute tamen hìc volumus procedendum; ne, dum nimium influxus coeleſtium corporum in haec inferiora defenditur, quorundam errantium figmenta ſepulta jam & obſoleta circa homines, circa daemones, circa ipſos naturales effectus ad novam lucem vocentur. Et primum hominis actus, quos humanos vocamus, voluntatique recognoſcimus ſubditos a Coelorum actione tanquam a cauſſa pendere, opinio fuit vel potius dementia Algazelis, & Baſſi, quorum alter motus voluntatis corporibus coeleſtibus ſubeſſe, alter in ſeptem aſtris, & 24. literis humanam vitam cum ſuis actibus conſiſtere, turgidis faucibus docuit. At heu miſelli! Licet enim indirecte, & per accidens impreſſiones corporum coeleſtium ad humanos actus poſſint pertinere, ut D. Thomas concedit. Attamen

IV. Corpora coeleſtia eſſe veram humanorum actuum cauſam, inane omnino eſt, & impoſſibile. *prim. part. quaeſt.* 115. *art.* 4.

ALgazele & Baſſo inſaniores videntur Platonici, qui Daemones ipſos corporum ſuperiorum motibus ſubſtravere: utque hoc importabile mendacium ceruſsâ quadam, fucoque veſtirent, daemones non eſſe meros ſpiritus commenti ſunt, ſed *animalia corpore aerea, animo paſſiva*. Verum nos cum ſatis firmum & authoritate & rationibus habeamus, daemones cujuslibet eſſe materiei expertes, exactius eos, quam homines corporum coeleſtium influxui ſuffuramur, &

V. Daemones nec per ſe, nec per accidens, nec directe, nec indirecte coeleſtium corporum actioni ſubdi, acriter contendimus. *Ibid. art.* 5.

Eru-

ERubeſcat igitur, ſuaeque ſummae fatuitatis mulctam ferat perditiſſimus Joannes Wiclef, qui maligno ſuo ingenio concitus omnia in terrarum orbe neceſſitati abſolutae eſſe obnoxia, anhelis pulmonibus defendit. Ejus enim peſtilens os effringunt ſatis & quae nuperrime retulimus de hominum, daemonumque actibus: & quae de ipſis rebus naturalibus ſequenti theſi propugnanda aſſumimus, dum

VI. Non omnes naturales effectus, qui coelorum motibus ſubſunt, etiamſi nulla voluntaria vel hominum, vel Angelorum actione impediantur, ex neceſſitate provenire, liberrime adſerimus. *p. par. q. 115. art. 6.*

PRaeter iſta contingentia effecta, praeter humanas, daemonumque actiones, ceteri naturales effectus in corpora coeleſtia reducuntur tanquam in cauſas ex neceſſitate agentes, & ad finem effecta propria dirigentes. At quomodo haec duo cohaereant, difficile nimium non tam dictu, quam captu prima fronte videtur. Si enim coeleſtia corpora ad finem effectus proprios dirigunt; igitur videntur praedita animâ intellectivâ, quae neceſsitatem operandi excludit: ſi vero ex neceſsitate effectus proprios operantur; igitur animâ intellectivâ carent, ſine qua non videntur poſſe ad finem intentum dirigere. Magnam, inquam, difficultatem videntur haec duo implicare, corpus nimirum coeleſte & ex neceſsitate operari, & ad finem dirigere: & ita magnam, ut haec credatur cauſa, quae circa coelorum animationem philoſophos a philoſophis, & Patres a Patribus perenni diſsidio ſegregaverit, quibuſdam coeleſti corpori animam abripientibus, de quorum numero ſunt Anaxagoras, Baſilius, Damaſcenus: quibuſdam vero coeleſtia corpora animata ponentibus, inter quos fuere Platonici, Origenes, & fortaſſe Hieronymus. Verum cuncta poſſe conciliari, ſi coelis non verae animae, ſed dumtaxat ſpiritus aſsiſtentes aſsignentur, vel nemo unus eſt, qui ambigat. Sic enim coeleſtia corpora ſimul & ex natura neceſſario operari, dicique inanimata: & ex ſpirituum adſiſtentia ad finem dirigere, appellarique quodammodo animata, ſine ullo contradictionis veſtigio commodiſsime queunt. Ad quod ſane intendentes

VII. Corpora coeleſtia non eſſe proprie ani-

mata

mata inſtar plantarum, & animalium, ſed dumtaxat aequivoce, lubenti animo ponimus, & viriliter ſuſtinemus. *pr.p. q. 70. art. 3.*

Coeleſtium orbium igitur Motores ſunt Angeli, qui cum nullimode defatigentur, ſintque in aeternum incorruptibiles; fieri commode poſſet, ut ſecundum iſtum, quem conſpicimus, ſtatum mundus in perpetuum diſtenderetur, atque duraret. Quoniam vero corporalia cuncta propter hominem proxime facta creduntur; quemadmodum homine peregrinante, ad homini inſerviendum mundialis machina perenniter agitatur & tota;ita innovato homine, & juxta Fidei dogmata ad vitam feliciorem aſſumpto

VIII. Mundi innovationem futuram ne dum rationis lumini non refragari, immo & maxime ſuffragari, ſentimus. *ſupplem. q. 91. art.* 1.

Cujus quidem dicti veritatem noctu, diuque animo tuo agitabis, tecumque attentius perpendes; ne in errores labaris Mundinatarum, & Rabbi Moyſis, qui mundum iſtum ſemper in eodem ſtatu manſurum autumarunt. Quinimmo ut poſsis facillime verbum illud Apocal. 21., *vidi coelum novum & terram novam* & imperitis exponere, & pervicacibus ſuadere, modum quoque, quo hujusmodi mundi innovatio abſolvetur, ſequentibus theſibus tibi aperiemus. Et primum terra innovabitur tum quoad infectionem, tum quoad mixta: nam

IX. Elementa licet quantum ad ſubſtantiam, & qualitates proprias ſint manſura; ab infectione tamen ex peccatis hominum, & ex mutua eorum actione & paſſione contractâ purgatum iri, minime dubitamus. *ſuppl. q. 74. art.* 5.

Cumque etiam mixtis turbentur quodammodo elementa, & inquinentur; iccirco

X. Animalia, plantas, mineralia, & reliqua mixtorum genera in eâ mundi innovatione haud remanſura, defendimus. *ſuppl. q. 91. a.* 5.

Coe-

COelum inſuper quantum ad motum innovabitur : etenim

XI. In finali conſumptione motum coeleſtium corporum penitus defecturum, quamvis non cauſa naturali, ſed voluntate divina, pro comperto, exploratoque habemus. *Ibid. art.* 2.

COelum denique ſimul & terra quantum ad gloriae aſſequutionem innovabuntur, ut dictum Apoſtoli impleatur haec Rom. cap. 8. ſcribentis : *Expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat*. Et poſt pauca : *Ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei*. Haec namque verba ne dum incomprehenſibilem illam ſanctorum gloriam probant, verum & alteram coelorum, elementorumque propriam in eo ſitam, quod

XII. Tum corpora coeleſtia, tum elementa in mundi innovatione quantum ad claritatem meliorabuntur, novâque luce ſecundum menſuram ſoli Deo cognitam veſtientur. *ſuppl. q.* 91. *art.* 3. *&* 4.

QUae circum mundi productionem, permanentiam, finem hactenus dicta ſunt, ut totum *de Coelo & Mundo* tractatum percurreremus, omnia quidem ea non ſunt, quae & auctores ſolent, & nos poſſemus ſcrutari. Verum ſi noſtrae initio inſtitutae methodi ratio attendatur, pluriora, quam par erant, fortaſſe invenientur : cum his peractis, nonniſi anguſtus admodum theſibus *de Ortu, & Interitu*, nec non *de Anima* locus relinquatur. Quare omni morâ poſthabitâ ad alia motum generationis & corruptionis concernentia devenimus. Et primitus ut corpus quodlibet ſuâ propriâ expolient activitate, nihil non tentant triplici ſub vexillo conglomerati nonnulli philoſophantes. Aliqui enim inſaniam jam antiquatam Avicebron ſequentes, actionem quamlibet corporum non ipſis corporibus, ſed cuidam ſuperiori vi ſpirituali corpora latenter penetranti, & ad eorum praeſentiam agenti adſcribunt, ut Sarraceni, & Mauri. Alii Platonis errorem amplexantes, actionem ad formas tantum accidentales, non ſubſtantiales corporibus tribuunt ut Avicennas, ejuſque aſſeclae. Ceteri demum Democriti ſuſcitantes placitum, non veram actionem corporibus, ſed quendam

ato-

atomorum effluxum a corpore agente in patiens concedunt, ut Atomiſtae. At quantum volunt, oblatrent, obſtrepantque lymphatici iſti moloſsi.: nos enim in unum tot dementias conſarcinantes, eas in cinerem verremus unico tantum, eoque carbone, quo

XIII. Corpus in quantum eſt in actu in aliud corpus in quantum eſt in potentia, in ordine ad formas tum accidentales, tum ſubſtantiales vere & proprie agere, ſtrenue defendimus. *pr. part. q.* 115. *art.* 1.

UTque hoc ſalvemus, iiſdem verbis, quae Auguſtinus *3. de Trin.* exaravit, ſentimus, quod

XIV. Omnium rerum, quae corporaliter, viſibiliterque naſcuntur, occulta quaedam ſemina in iſtis corporeis Mundi hujus elementis latent. *Ibid. a.* 2.

HOc tamen, quod de activa dicimus virtute, per quam uno corpore immutatur aliud, unumque in aliud immediate agit; nolumus, ut potiori jure ad noſtram animam reſpectu quorumcunque corporum, ſicut quidam minus accurate faciunt, extendatur. In auſum laberemur Algazelis dicentis, impreſsionem animae ita poſſe immediate ad corpora exteriora tranſire, ut iſta per illam & deſtrui, & deſinere, & corrumpi queant: ſicut & in erratum rueremus Avicennae, qui materiam corporalem natam eſſe ad obediendum ſubſtantiae ſpirituali magis, quam contrariis agentibus in natura, inſipienter effutivit. Dumtaxat animae, ſi recte introſpiciatur, concedi poteſt, ut medio proprio corpore, cui alligatur, in alia corpora, & mediis iſtis in alia agat, & ideo

XV. Naturali animae virtute nullo pacto poſſe materiam corporalem, niſi mediantibus quibuſdam corporibus, immutari contendimus & tuemur. *pr. part. q.* 117. *art.* 3.

COrpora igitur ad formam ſubſtantialem immutari nequeunt a ſola anima, immo nec immediate ab aliqua ſubſtantia ſpirituali ſeparata; ſed vel a corporali agente naturam corporis produ-

ducendi aut eodem, aut praecellenti modo contineat, vel ab ipſo Deo Supremo cunctorum conditore. Quocirca cum in prima rerum productione nullum daretur corporale agens, quod humanam ſpeciem quocunque pacto contineret, adverſus erratum Seleucianorum, Albanenſium, Meſſalianorum, aliorumque hujus ſalis, & farinae, Adamum non fuiſſe a Deo autumantium,

XVI. Propugnamus, ſerioque adſerimus, primum hominis corpus ita a Deo immediate fuiſſe, ut nullâ potuerit creatâ virtute formari. *pr.part. q.91. art.2.*

QUemadmodum autem primae humani corporis formationis unum Deum ſolum & immediatum profitemur auctorem; ita & cujuſcunque humani corporis reſtaurationis ſeu reſurrectionis. Hoc namque a conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 5. cap. 8., auctore Clemente Pap. & mart., didicimus: *Ille, qui prima corpora de nihilo effecit, ex iiſque varias naturas compoſuit; idem mortuos, vitâ redditâ, idem ipſe omnes homines excitabit*. Ad quod magis, magiſque firmandum, etiam oracula ibidem adnectuntur Sibyllae totum vel haud obſcure his vaticinantis carminibus:

Oſſaque reſtituet rurſum, cinereſque ſepultos,
Et genus omne hominum (ut fuerant) Deus ipſe reponet.

Et jure quidem merito corporum reſurrectio divinae tribuitur virtuti: nam

XVII. Corporum reſurrectionem, quae ſecundum aliquid dici quit naturalis, ſimpliciter ſupernaturalem eſſe, atque miraculoſam, evidentiſſime conſtat. *Suppl. q.75. art.3.*

VErum tamen eſt, quod hanc ſuae virtutis oſtenſionem in mortuis reſuſcitandis Deus minime efficeret, ſi culpa mortiferum virus in Orbem non diffudiſſet, nec humani corporis mirabile a Deo efformatum opificium deturpaſſet. Toto corde, toto conatu, & viribus execramur quod probatum effinxit impiiſſimus Pelagius, Adamum nempe non culpae demerito, ſed naturae conditione occubuiſſe. Apage hoc commentum intolerabile: hoc mendacium aeterna morte, & anathemate dignum apage. Licet enim

homo

Digitized by Google

homo ſuis viribus immortalis nequeat fieri; nihilominus ſpeciali Dei munere & gratiâ fuiſſe hominem immortalitatem in fauſtiſſimo innocentiae ſtatu adeptum, nemo inter Catholicos negat. Cavendum tamen, ne haec primi ſtatus immortalitas cum alterâ, quam exſpectamus, & in ſtatu gloriae aſſequemur, confundatur. In gloria enim corpus noſtrum per quendam immortalitatis vigorem, ut diſpoſitionem quandam in eo exiſtentem, erit indiſſolubile: at non per hujuſmodi vigorem, ſed

XVIII. Tum quadam ſupernaturali vi divinitus animae inſculptâ, tum eſu ligni vitae homo in ſtatu innocentiae fuiſſet immortalitatem conſequutus. *pr.p.q.97.art.1.& 4.*

INter omnia, queis pulcherrima haec mundi machina conſurgit, infimum ſubſellium viventia minime tenent: immo eo magis iſta ceteris praeſtant, quò motus vitae motu locali, motuque generationis, & corruptionis eſt praecellentior, Deoque, qui Vita eſt, vicinior. Eapropter incongruum non videtur, haſce, quae ſuperſunt, theſes tractatui de viventibus, ſeu *De Anima* accomodare. Ut autem primo loco principia, gradus, potentias eorum omnium, quae motu vitali moventur, diſpertiamur

XIX. Tres eſſe animas, vegetativam, ſenſitivam, intellectivam: quatuor vivendi modos, ſeu gradus, vegetativum, ſenſitivum, motivum ſecundum locum, intellectivum: quinque demum potentiarum animae genera, vegetativum, ſenſitivum, motivum ſecundum locum, appetitivum, intellectivum, autumamus. *pr.p. q.78. art.1.*

CIrcum autem animam vegetativam non tam inſaniere nebulones quidam, ſicut circa animam brutorum ſenſitivam, & hominis intellectivam, utramque aequo plus extollentes. Fuerunt iſti Gnoſtici, & Manichaei, qui propriâ inſcitiâ potius, quam ſenſitivae, rationaliſque animae decore capti, animam brutorum rationis, intellectioniſque capacem eſſe, animam vero hominis

aut

aut ex Dei ſubſtantia, aut Dei ſubſtantiam eſſe, ſomniaverunt. Quadere minus utilem de anima vegetativa quaeſtionem ſeponentes, ut utrumque Gnoſticorum, Manichaeorumque execrandum erratum propriis, libratiſque momentis compeſcamus, primum animabus brutorum rationem, atque intellectionem abripimus per hoc, quod

XX. Animas brutorum animalium non eſſe per ſe ſubſiſtentes, quemadmodum eſt anima rationalis, propugnandum, tuendumque ſuſcipimus. *pr.p. q.75. art.3.*

DEinde hominum animas commentitiâ divinitate privamus, in hoc, quod

XXI. Hominum animas nec ſubſtantiae divinae partem, nec ſubſtantiam divinam eſſe, ſed quiddam factum, & mente ſentimus, & corde fatemur, & ore, verbiſque vociferamur. *pr.p. q.90. art.* 1.

FActam dicimus humanam animam; non tamen ex igne, ut erraverunt Enthuſiaſtae: non ex carnis ſubſtantia, ut Luciferiani finxere: non ex anima patris ſicut corpus ex corpore, ut Tertullianiſtae deſipuerunt: non denique de terra, ut Seleuciani blaſphemavere; ſed vere & proprie ex nihilo. Cumque rerum ex nihilo productio ſolius Dei ſit opus, placita deteſtemur oportet, tum Averrois, & Algazelis, animam noſtram ab ultimâ creatâ intelligentiâ procedere adſtruentium: tum Seleuci, Hermiae, & Concordienſium, humanas animas a Deo eſſe negantium. Quod quidem praeſtamus, dum adverſus tot perditiſſimae mentis viros

XXII. Hominum animas, non mediis quibuſdam creaturis, ſed a Deo immediate prodire, ſuſtinemus. *Ibid. art.* 3.

INcaſſum igitur coniſcant, ut noſtros excaecent oculos, tum Joannes Epiſcopus Hieroſolymitanus, tum Origeniſtae, & Priſcillianiſtae, dum ille animam primi hominis ante corpus productam